25 7

# DEO OPTIMO MAX.

# QUÆSTIO MEDICA,

*CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Martis vigesimâ-septimâ mensis Maii, anno Domini* M. DCC. LV.

## M. JACOBO-ALBERTO HAZON,

Doctore Medico, Præside, Theseos Auctore.

*An Diæta omnibus necessaria, magis verò Lutetiæ Parisiorum Incolis?*

I.



D vigesimum longitudinis gradum, latitudinis verò quadragesimum octavum cum quinquaginta minutis & decem secundis, sita est urbs magna, Lutetia, dicta Parisiorum, regni Francorum caput; illius encomia celebrare supervacaneum, quippe cujus fama percrebuit per totum orbem longè latèque: primâ origine exiguissima, ex quo Franci Gallias invasêre, continuâ accretione pomeria sua ampliavit ampliaretque in dies, nisi Præfectus urbis & Ædiles sapientibus ducti rationum momentis, illam definitis tandem circumscripsissent limitibus, quos transilire nefas; ne scilicet urbs primaria mole suâ jam gravis, proprio tandem pondere laboraret.

Planâ in regione seu humili in loco residet urbs nostra, quam trajicit ab oriente ad occidentem fluvius magni nominis, Sequanam dicunt; sic enim magnæ civitates fœtæ populis, fluviis majoribus consociari amant, illorumque vicinitatem affectare, propter liberiorem commercii facilitatem. Licet urbs nostra montium continuâ serie ex omni parte cingi atque veluti concatenari dici non possit, vicinis tamen montibus subjecta ferè undique despicitur: spatium emetitur latissimè patens, temporisque lapsu eò crevit, ut mœnibus suis, ceu carceri contineri impotens, vicus vicinos, oppidulaque proxima invaserit, sinuque suo in vasto incluserit: domus plurimis extructæ tabulatis, excelsæ admodùm sunt: illius viarum quædam latissimæ, cæteræ verò angustæ undique decussantur: tanta est, urbs mater, civium tuorum tam indigenarum quàm alienigenarum continenda multitudo! viæ tum peditum quàm equitum copiâ, vecturisque omnis speciei frequentes, pluviis stillantibus, rivisque fluentibus semper irrigatæ, omni ferè tempestate madidæ sunt, lutoque perfusæ; his omnibus addas fumos è caminis numero infinitis, quasi totidem spiraculis ascendentes; jam non erit cur mireris, urbem ingrediendo longè prospiciens, aut de montibus vicinis despiciens, si illam densis quasi nebulis obrutam atque consepultam videas. Versùs austrum terra est sicca & arenosa, vinetis olim luxuriabat, cætera circùm uda & paludosa.

Ex hâc brevi & adumbratâ sitûs urbis descriptione, sequitur; Sequanam, mediam in urbem humidos vapores continuò exhalare, halitus è montibus efflatos in urbem descendere atque refluere, ventos in viis undique decussatis interceptos coarctari, ac proinde aërem inclusum ac incarceratum circuitu libero non permeare.

Ast, inquiet aliquis, illud repugnat, majores nostros, locum situ suo ità iniquum elegisse, quò urbem regni caput collocarent, aut quomodo urbs tot incommodis obnoxia facta est cæterarum domina civitatum? Tandiù dum urbs nostra in suâ insulâ, quæ propriè nunc civitas dicitur, parvo in circuitu coercita fuit, Lutetia omnibus arridebat situ, quo nil erat commodiùs, quo nil jucundiùs, quo nil salubriùs erat: continuæ urbis accretiones, spatium quod sensim sine sensu immensum occupavit, civiumque multitudo, sola ejus salubritati nocuere.

De his omnibus incommodis (grandium semper affeclis civitatum) quidquid sit, nusquam alibi reperire est disciplinam politicam, quæ perfectiùs calleat artes, quæ conducunt tam ad viarum nitorem atque claritatem, quàm ad civium securitatem.

I I.

LUTETIÆ incolarum mores, ingenium temperamentum affectusque morbosi regioni quam habitant, constitutionique aëris quem spirant prorsus consentanea sunt: minùs Septentrionales quàm qui ad Aquilonem magis vergunt, neque tardi neque hebetes sunt; minùs verò Australes quàm qui radiis solaribus propiùs accedunt, ingenii salibus, scintillis, dicacitatibus non ità emicant; ingenio tamen pollent non mediocri, accincti ad laborem, in agendo prompti, perpoliti, extraneos humaniter excipere semper parati.

Parisiensium corpora minùs robusta quàm rusticorum; aëre enim utuntur neque ita puro neque ita elastico, propter rationes superiùs allatas; prole non beantur, Optimates præsertìm, tam laudabili tamque multiplici. Mulierum graviditates molestæ, abortus frequentes, partus difficiles, plenique periculis: infantes in aëre procreati tam insalubri, nec crassi nec generosi apparent; primam hanc ætatem excruciant atque propè devastant dentitio, rachitis, scrophulæ, morbi, qui si non endemici, communes sunt heu nimiùm! Puellæ vix egressæ ex ephebis formam atque venustatem proferre incipiunt, at ecce pallidi colores virgineos vultus fædant atque dehonestant, quasi pulcherrimo sexui & nativos lepores & honestam venerem inviderent.

Lutetiæ, morbi tum acuti, tum chronici, cruentas exercent tragædias; inter chronicos, præcipuos annumerabis, obstructiones, hydropes, phtises, scorbutum, qui popularis est morbus, si cum continuo intentiorique frigore, annona ingravescat; affectus hystericos qui fœminas nobiles præsertìm & delicatulas malè torquent: in morborum acutorum funereâ classe recensebis Apoplexiam, omnes morbos inflammatorios, Parisiis quàm alibi vulgatiores, variolas mali moris, morbillos, infantum ferinas tusses atque clangosas, catharros in pulmonem, peripneumonias, febres omnis speciei, putridas præsertìm, quæ ab illis quæ ruri desæviunt, in eò differunt, quòd sine exhantematibus ferè omnes invadant, propter aërem nostrum humidum & gravem; humidus enim aër sanguinis dissolutioni obsistit, illius fermentationem irretit atque sufflaminat, gravis verò poros cutis comprimendo occludit.

I I I.

MIRABITUR forsitan aliquis tot exitiosam morborum luem Lutetiæ Parisiorum incubuisse: illorum causas attentè consideret, illorum genium atque caracterem accuratè perpendat, ab eâdem causâ primariâ oriri, ab eodem fonte derivare, omnes deteget: memoriâ revocet urbis regionem, situm, civium multitudinem propè innumeram, cæteraque incommoda inde sequentia quæ jam recensuimus concludetque inde aërem Parisiensem humidum esse & gravem, perspirationibus seu atomis corporum numero infinitorum hâc in urbe degentium esse imbutum, proindeque Atmospheram omnem nostram densitatem spissitudinemve contrahere sanitati prorsus nocivam: quid tum? Fibræ corporis nostri nativam amittunt mollitudinem primumve tonum diminutum sentiunt; præpeditur sanguinis circuitus, fluidis mora nectitur, humores inspissantur: perspiratio imprimis, præcipuum hoc sanitatis præsidium, varias patitur mutationes, detrimentumque accipit non mediocre: morborum tot inde tum acutorum, tum chronicorum cohortes, quæ veluti obsidione miseram tenent Lutetiam, quæque principium idem, causamve eandem agnoscunt, quod sigillatìm probare facilè esset, si per diæteticas liceret positiones.

In omnibus ferè morbis tum acutis tum chronicis vel levibus missus sanguis, inspissationem impressam atque veluti in fluidis obsignatam denotat.

Verùm enim verò, si aër suâ qualitate vitiosus, unum eundemque tenorem servaret, tempestatum seriem efficeret æquabilem sibi invicem succedentium & in suâ varietate constantium, minor esset de aëris qualitate aut urbis situ querela: verùm perpetua est cœli conversio, nec sibi constat vesperè vel manê: ibi venti nec sunt periodici, neque etiam in viis liberè permeant; ubique intercepti viarum angustiâ, domuum excelsitate luctantur, debacchantur, aërique insinuant quasi totidem qualitates & contrarias & oppositas quarum corpora nostra sunt victimæ & ludibrium: corporis enim nostri fibræ fidibus molliores intenduntur remittunturve ad ventorum arbitrium; perspiratioque nostra tot mutationibus quot aër subjicitur: ita ut corpora Lutetiæ degentia, fidibus, barometris, thermometrisve simillima ventis obtemperare cogantur; & erit unde alicui mi-

rum videatur ; tot ſerpere morborum peſtes, tot graſſari epidemicas conſtitutiones ; quarum cauſæ abditæ medicos expertiſſimos, obſervatores fidiſſimos fugiunt.

Neque ex morborum diſcrimine duntaxat aëris Pariſienſis denſitatem ſpiſſitudinemve experimur : ex aëris mutatione illius mirabiles effectus multò evidentiùs comprobantur ; ſola aëris mutatio contra quorumdam morborum vim, fit pharmacum eximiæ virtutis maximæque potentiæ : recreatur quis à morbo gravi ? Languens tamen, viribuſque minor, aëris mutatione fit ad ſanitatem tutior breviorque reditus ; benevalet aliquis ? Mutati tamen cœli quanta diſtinctio ! Rus migratur, nova ſubitò rerum facies ; ciborum major appetentia, ſomnus reficiens, nova alacritas, triſtitiarum oblivio ; in agendo promptiores atque vegetiores, novi homines efficimur.

Aër eſt inſtrumentum ſeu medium ſine quo vivere non poſſumus, illius qualitates ad ſanitatem plurimùm conducunt ; id jam in promptu eſt ; aërem Pariſienſem examini ſubjecimus atque in particulas, ut ita dicam, ſecuimus, ut inde deduceretur diæta Pariſienſibus ritè obſervanda : nunc ad res alias non naturales tranſeundum, paucíſque inquirendum quænam ratio de illis Lutetiæ habeatur aut quænam haberi oporteat.

Alimenta ad vitam & ſanitatem plurimùm quoque conferunt : grates referantur maximæ ſummæ Dei providentiæ, optimæque arti politicæ inde emananti, quæ urbis primariæ regimini præſunt : de his omnibus quæ ab hominibus expetuntur vel ad vitam neceſſaria, vel ad ſaporis dulcedinem, ex his nil omninò deſideratur Lutetiæ Pariſiorum : exhauriuntur camporum immenſitates ; ſui ipſius cæteræ urbes atque provinciæ obliviſcuntur, ſe ſeque quadantenus defraudant, dummodò urbi principi abundantiùs rem omnem ſuppeditent : ex remotiſſimis provinciarum finibus afferuntur cibaria Lutetiam : itinerum longinquitates de illius annonâ nihil ſubripiunt ; quidquid Lutetiæ deſtinatur huc confluit, undique ad urbem aſportatur ; diu noctuque invigilatur, ut nihil aut neceſſitati aut voluptati deſit ; intereà ſola Lutetia dormit : pane veſcimur optimo, & vili, ut plurimùm, pretio : vina ſat generoſa : carnes tum bovinæ tum vervecinæ tum vitulinæ recentes, teneræ, maceratæ, ſuccoſæ, nec majori pretio venditantur ; pecoris volatilis nec venatici ulla penuria.

Quæ igitur ad civium ſanitatem conduceret rerum omnium ubertas atque copia, ſolâ nocet intemperantiâ aëriſque vitio qui urbis ſitu ſpiſſus & humidus ſine elaſticitate atque propè ſine ſpiritu languet : plebs pro penu egregiè potitat, optimates lautè vivunt, cives mediæ ſortis abundè victitant : qui multis negotiis intricantur ſudant, vigilant, defatigantur plus æquò ; qui verò ſunt negotiis vacui, mulierespræſertim vitam trahunt otioſam ludoque deditam.

Excreta & retenta cæterarum rerum non naturalium vitiatum ordinem ſequuntur, in virginibus præſertim atque in mulieribus quarum vita & valetudo ab iis omnibus cauſis ſecundariis multò magis ritu phyſico pendent : nil mirum igitur ſi propter inſpiſſatum aërem, exercitationem diminutam, alimentorum boni ſucci copiam majorem ingeſtam, perſpiratio retineatur cæteraque ſolita excreta tum quotidiana, tum periodica difficile ſe habeant.

De re ultimâ non naturalium aliquid ne ſubjungam animi pathematibus ſcilicet Lutetiæ incolis quaſi innatis ? Singula namque animi pathemata qui vellet recenſere atque depingere, vix uno volumine contineat.

Ubicumque eſt hominum collecta multitudo, ibi adunatæ cupiditates vires ſuas exerunt : hujus propoſitionis ſpecimen eſto Lutetia noſtra.

Ibi ſub ſpecie atque larvâ pulcherrimi regiminis politici, pacis tranquillitatiſve diuturnioris, ordinis optimè compoſiti nec violandi, urbanitatis comitatiſve amabilioris, ibi, inquam, regnant cupiditatum impetus concitatiſſimi, animorum æſtus fervidiſſimi, negotiorum tumultus, rerumque privatarum cauſâ diſſentiones atque diſcordiæ : ibi, unumquodque vitæ inſtitutum, unaquæque conditio ſuis deturpatur vitiis, quæ contagio communicavit, exemplum roboravit : ibi artes analogæ, illæ ſcilicet quæ habent aliquid affinitatis officiique communionem, quamquam ſua jura definitoſque limites habuerint, inter ſe bella movent & aperta & occulta ; atque in meſſem alienam falcem injicere audent : ibi mala fides velata multitudine, virtutis probitatiſque honeſtam frontem præ ſe ferens, cautè decipit, impunè nocet.

Aſt ibi quoque Pariſiis, ſupremum urbis moderamen, fortiora oppoſuit vitiis repagula, arctiſſima injecit fræna cupiditatibus, leges fixit ſapientiſſimas, diſciplinam poli-

ticam ſubtiliorem, juſtitiamque ſeveriorem adhibuit; ibi ſcientiæ lumen adornavit; ibi Relligio piiſſima nuncupavit argumenta; ibi denique ordo floret ſaluberrimus, qui ſaluti humanæ invigilans, diætetices regulas atque therapeutices præſcribit certiſſimas.

## I V.

HACTENUS, de aëre Lutetiam Pariſiorum ambiente, urbis ſitu, magnitudine, incolarum moribus, temperamentis, morboſiſque affectibus, animi pathematibus, victûs ratione, fusè ſermonem habuimus; idque efficimus, ut pateret evidentiùs, quàm ſit operæ pretium diætam Lutetiæ inſtituere, quæ ſit diætetices adſtricta legibus, pravamque ac veterem corrigat omninò vivendi normam, mutetve in meliùs: veſtra ergo res agitur, cives Pariſienſes, harumque rerum indagationem veſtrâ plurimi intereſſe non dubitetis.

Apud omnes ſanæ mentis confeſſa res eſt & manifeſta, ad benè valendum, ſive in urbe ſive ruri ſedem elegeris, in omnibus modum eſſe adhibendum, alimentorum delectum eſſe faciendum, parcè cœnandum, exercitationi dandum operam, ſua ſomno, ſua vigiliis tempora eſſe concedenda, arcendos refrænandoſque vehementiores animi motus: verùm quod ubique, quod omnibus, multò magis Lutetiæ neceſſarium contingit: ruri enim atque campis in apertis vividus eſt aër, ſiccus, elatere ſuo gaudens, circuituque liberrimo; illius ope atque energiâ, coctiones, ſecretiones functioneſque omnes ritè peraguntur; Lutetiæ è contrariò, atque in civitatibus grandioribus, ut eſt aër humidus, ſpiſſus, elatere minor, minorem impertitur fibris tonum, ſuccorumque gaſtricorum vim minuit; ibi igitur paucioribus utendum cibis, ut quod ventriculi fermentis, digeſtioniſque organis, vitio aëris, detrahitur, illud omne ſuppleat in victu temperantia: aliundè verò alimenta ſunt boni ſucci, minori igitur quantitate ingerenda: perſpiratio præthereà Lutetiæ nec ità abundè, nec ità æquabiliter à cutis poris exhalat quàm ruri, plenoque in aëre, propter atmoſpheram magis humidam frigidam & gravem: ſanguinis vaſa hâc ſuppreſſâ atque redundante perſpirabili materiâ fœta atque turgida ſunt; pertimeſcendum igitur, ſi plenior victus accedat, ne ultrà ſuum tonum adducta, novo ſub pondere gemant: huic perſpirationis defectui, obiter dicam, tribuenda Pariſienſium Plethora, ſeu temperamentum ſanguineum, quæ venæ ſectionem, tam morbis curandis, quam præveniendis ſæpè neceſſariam indicant.

Verùm, ſi ad menſam quocumque tempore, non niſi comite temperantiâ accumbere debemus, cœna præſertim brevis eſſe debet: poſt cœnam enim non opportuna deambulatio, ſolis abſentia, diminuta perſpiratio ventriculi vaſa onerant, digeſtionique minùs aptum relinquunt; tot indè difficiles & operoſæ digeſtiones, ſomni graves, ſudores nocturni, qui corpus fatigant, nedum reficiant. Diſputabatur olim, utrum prandio cœna brevior deberet eſſe; jam nullus ambigendi locus ſupereſt, ex quo rerum magiſtra docuit experientia, theoriæque ratiocinia comprobavit: quot homines hâc in urbe principe, ſuæ ſanitatis ſtudioſi, ſuâ ſe cœnâ defraudant aut illam leviter attingunt, valentiorique fruuntur valetudine; uno verbo cœna lautior plurimis nocet, illius abſtinentia nemini noxia; neque cœnæ privatio culpanda eſt, ſi Medicus quandoque plurimâ trepidatione, multoque gemitu, è gravi ſomno mediâ in nocte importunè ſuſcitetur.

Alimenta debent eſſe ſimplicia facilèque parabilia; aquâ cocta vel igne toſta, quæ enim arte nimis exquiſitâ multoque apparatu ſunt condita, illa totidem irritamenta gulæ, fermenta ventriculi vitiant & corrumpunt, faceſſuntque ventriculo negotium. Cremores, pultes, piſtoria, novæ artis culinæ, prope dicam ſicariæ, inventa angue pejora evitanda ſunt; ſub finem epularum appoſita, & ſuæ & præcedentium ferculorum obſtant digeſtioni. Fructus autem, cortices & ſemina quibus menſæ ultimæ ſolent exornari, ſalubriùs cruda aut cocta comeduntur, quàm ſaccharo obducta, vel aquâ vitæ condita atque conſervata: heu feliciter patribus noſtris incognita noſtræ ætatis ars coquinaria, noſtram in perniciem ſubtiliùs excogitata & elaborata: carnes elixæ vel aſſæ in uno ſeorſim ferculo coacervatæ atque cumulatæ, in omne cedebant alimentum: æque ac nos edaces, robuſtiores erant; ſimpliciùs victitabant: motu & exercitatione corpus ſuum firmabant: vinum meracius bibebant, liquoribus ardentibus minùs delectabantur, tincturas noſtras croci & aromatum vel delibare dedignabantur.

Potus Pariſiis uſitati, ſunt aqua Sequanæ, vinum, cereviſia, ſuccique ex pomis ex-

pressi atque fermentati : Sequana magnificè volvens aquas in alveo arenoso, limo salibusque referto, benè clarificata limoque suo defæcata, salubris est admodum, levis, dissolvens, aperiens, molliter subducens alvum, salubritatisque laude nulli inferior; in illius latice bibendo vix modum excedas.

Vina salubriorem venirent in usum si à mercatoribus simul non commiscerentur; aquâ plurimâ sunt temperanda atque diluenda; ne quæ sunt tartareis fœta particulis, illas in vasa nostra deponant, atque calculum efforment, calculive materiem aggerent. Cerevisia, pomorumque succi mediâ potissimum æstate atque ardente sole, sitis extinguendæ causâ pôtantur apud Parisienses : inter edendum mediisque epulis debent arceri, succo enim nutritio donatæ, fermentationique proximæ alimentorum coctioni inservire non possunt; potus enim non ad nutriendum, sed ad alimentorum dissolutionem promovendam sunt à naturâ dicati.

Ea est commercii maxima utilitas, quòd homines remotissimis licet disjuncti regionibus amico fœdere sociati, mutuas sibi invicem conferant opes, divitiasque communicent : felices divitiæ quibus homines non abuterentur ! Illius speciei sunt folia thé, semina caffé, amigdalæque è cacao, quæ orientales occidentalesque plagæ nobis ultrò asportavêre; sed inter medicamina potiùs recensenda, quàm inter potûs vel cibi species : nempè pro panis tantillo manè devorando, quò meridionarum epularum facilior sit expectatio, sternitur mensa, accumbitur, apponunturque thé, caffé & chocolata lacte inspissata, crassiusculisque oneratur cibis ventriculus, priùs quàm vespertinæ cœnæ digestio perfectè absolvatur; hæcque mensa matutina præcedenti officit atque subsequenti, & sic cruditates cruditatibus congeruntur, futurarum germina ægritudinum; ecquis porrò tali mensæ potissimum delectatur ? Fæminæ nobiles & divites, quæ cibis minùs indigent, ut pote quæ longiori somno deditæ, desidiâ & otio diffluunt. Conventibus Deo sacris, virginibusque religiosis concedantur hæ deliciæ, per nos licet; his porrò solæ non abutuntur : vicariam enim supplent opem mensis nimiâ fortè, aut simplicitate aut mediocritate paratis : his levibus epulis finito innocuè aut otia fallere, aut tædia solari.

Ast inquies, illa quæ inter medicamenta, quasi factâ decisione, ablegas, thé, caffé & chocolata, cum lacte epota, nonne vera sunt alimenta, aut sine lacte potûs species ? Sicque nonne meritò audiunt aut alimenta medicamentosa, aut medicamenta alimentosa? Sed rem indicatam occupa, vimque nominis; cumque sint alimenta boni succi non rara, medicamentorum verò specificorum præsertim, rara suppellex, non medicamentis ne alimentosis quidem assuescendum, ne aut noceant, aut propter consuetudinem jam nihil proficiant : medicamentum igitur in alimento quæsieris, sed non alimentum in medicamento : hominum gulam ! Medicamina vel salubriora, si palato paululum injucunda non arrideant, pertinaciter respuunt; medicamina eadem, si palatum titillent suaviùs, usurpant in alimentum.

Innui caffé, thé & chocolata, & alia ejus modi in medicamentorum numerum esse revocanda, materiæque medicinali esse restituenda : folia thé, levi quâ pollent astrictione, partibusque suis leviter acribus ac volatilibus diureticum sunt eximium; illorum virtus nitro vel arcano duplicato, melleque scillitico adjuta, asthma levat, affectibusque medetur œdematosis à levibus obstructionibus, lymphæ inspissatione, atoniâve partium oriundis : verùm quidem illud est, in aquâ solâ infusum thé, matutinisque ebibitum horis, jejuno ventriculo, plurimis mirum in modum succedere compertum est; ast inde manifestum est indicium, infusum istud lege tantum medicaminis esse sorbendum : si enim homines sibi temperarent, si gulæ imperarent, atque in cœnando potissimùm sobrietatem adhiberent, non ità benè succederet hujus infusi potus dissolventis; cùm enim in nihil indigestum, nihilve incoctum incurreret, in quod vires suas exereret, jam consuetudine nimis diureticum evaderet, atque propè exsiccans.

Potus caffé Apoplexiæ prophylacticum audit, hemicraniis causâ frigidâ productis opitulatur; verùm sulphure acri, oleoso & volatili, quo pollet, igne atque ustione magis evoluto, sanguinem vehementissimè exagitat, dulcesque somnos arcet; istud est in ore omnium, vulgoque indubitatum, potum caffé digestioni apprimè conducere; ast primùm, digestioni raro auxiliandum illi qui sobriè vivit : sed coctioni alimentorum non favet, ut plurimùm, potus caffé, illam è contrario agit præcipitem : particulis enim salinis, sulphureis, nimiùmque evolutis, ventriculi fibras vellicat, exsiccat, deurit, succosque ga-

ſtricos vitiat, ipſis ſcilicet inſinuando ſtimulos acres, vim deurentem; atque prope corroſivam : aliquis ne caffé potui uſu diuturno fuit aſſuefactus? Remoto hujuſce potionis auxilio languebit concoctio, malèque ſe habebit ægrotantis inſtar; atqui tamen vis concoctrix alimentorum non in caffé potu, ſed in ventriculi viribus ſita debet eſſe, illiuſque fermentorum potentiâ inhærere : ex ventriculo autem in meſenterium, in hepar ſuos ignes latè ferens potus caffé, infarctus & obſtructiones exſiccando inducere viſus eſt non rarò. Novi ego fœminam nobiliſſimam in florenti ætate adhuc conſtitutam, quæ per totum graviditatis tempus, depravato appetitu ſeu malaciâ, laborans, magnam caffé uſti atque pulverati quantitatem devoraviſſet, febre hecticâ, diarrhæâ colliquativâ, tabe confecta interiit : aperto cadavere, tota inteſtinorum interna ſuperficies abceſſibus ulceribuſque gangrænoideis paſſim inuſta videbatur; alteram novi quæ cum temperamento admodum obeſa & opima eſſet; cùm ergà caffé, cæco amore capta, illius magnam deguſtaſſet quantitatem per totum graviditatis tempus, maciem contraxerat propè deformem. Fateor equidem, potus caffé temperamentis quibuſdam obeſis, pituitoſis, plethoriciſque conducere poteſt; tumque neque alimenti, neque potûs nomine, ſed medicaminis viribus, commendandus venit. Aſt, inquiet aliquis, potus caffé cum lacte aut etiam cremore lactis mixtus, ſæpè ſæpiùs venit in uſum, tumque lac, ſeminis caffé vincit aculeos, vimque ſulphuream retundit : ſic edulcatum caffé cedit in alimentum ſaporis ſuaviſſimi, nutritionique aptiſſimum : à paſtu, ſic aſſumi non poteſt caffé, quin digeſtioni noceat; propter lactis cremoriſve ſpiſſitudinem; manè verò, jejuno ventriculo aſſumptum, nimium nutrit, cæteris menſis nocet, appetitumque aut importunè provocat, aut hebetat; uſu quoque diuturno in conſuetudinem abit; conſuetudinis autem, uſu diuturno roboratæ tyrannidem norunt omnes : præthereà ex lactis uſu malè ſe habent Pariſienſium plerique, quocumque modò miſceatur atque temperetur : ibi enim bilis eſt ſpiſſa reſinoſa, ſæpèque redundat; cum bili lac nimis analogum, illam inſpiſſat, auget; tum porrò ſi fermenteſcere bilis incipiat, febris accenditur; aut ſi fermentationis expers eſt, obſtructiones parit, faſtidium, morborumque ſemina chronicorum.

Chocolata ſimplex, ſanitatis iſtud dicunt, illud ſcilicet, quod ex amigdalâ ſolâ cacao, igne toſtâ, ſaccharoque commixtâ conficitur; duplici conflatur parte, alterâ ſubacri & volatili, alterâ verò merè oleoſâ & pingui, quæ oleum è cacao dicitur; ambæ hæ partes ſimul à naturâ maritatæ, arte verò facilè ſeparabiles, componunt alimentum ſimul & medicamentum; illud ſtomacho pectorique maximè amicum laudamus : bechicum & vulnerarium meritò audit; optimèque præſcribitur quibuſdam in morbis ventriculi & pectoris maximè, in quibus diæta lactea denegatur, aut temperamentum refragatur : chocolata idem cum vanillâ cæteriſque ad arbitrium aromatibus conditum, analepticâ & roborante commendatur virtute : ventriculo languenti, frigidâve intemperie laboranti, hominibus ætate provectis atque caducis mirè opitulatur; vires dejectas erigit, labantes fulcit : aſt benèvalentibus neutrum conducit chocolata in alimentum; ut potè nimiùm nutriens & incraſſans, Lutetiæ præſertim, ubi eſt aër humidus ſpiſſus & gravis.

Exercitationis non minor ratio habenda eſt, quàm alimentorum : Lutetiæ corpus exercere neceſſarium magis ducimus quam ruri : Pariſiis enim, propter aëris ſpiſſitudinem, gravitatem, minorem elaterem; propter alimenta boni ſucci, motu & exercitatione digeſtionum operi ſtimulus, ſecretionum tarditati calcar admovenda, perſpiratio promovenda : omnibus hiſce grandium civitatum incommodis, temperantia & exercitatio mederi pluſquàm cætera omnia poſſent : verùm frigore, cœli intemperie, viis luto madentibus, ſegnes pariſini pedem ab ædibus efferendo deterrentur; ut pedem foris promoveant, aut negotiorum neceſſitate cogi, atque extrudi debent; aut ſerenum invitet cœlum ad deambulationem neceſſe eſt : tempeſtas autem ſerena, dieſve ſplendeſcentes ad tempus æſtivum procraſtinantur : intereà languent homines mulieres que longo, torpentes otio, ludòve inerti tempus conterentes; quid mirum poſthac, ſi plurimi homines ſubitâ, quaſi fulminis ictu, perculſi apoplexiâ, ad annum circiter quadrageſimum-quintum, die non ſuo corruant; ſi fœminæ non infimæ notæ, ceſſantibus catamænis tam malè ſe habeant; ſi tot irruant morborum tum acutorum, tum chronicorum agmina, fluidorum ſtaſis, inſpiſſationis, ſolidorumve inertiæ conſectaria : quâ ratione illud forſitan eſſet exoptandum, ut Rhædarum quibus homines hâc in urbe circum quaque vehuntur, minor occurreret frequentia, homines numero plurimi, alienis ſemper

non ambularent pedibus. Quònam abière saluberrimi illi globulorum pilarumve ludi, nec indecori, toties patribus nostris celebrati ? Scilicet corporis nostri manuumque nostrarum vires jam sunt imbecilliores, quàm ut globulis pilisve tractandis sint habiles: mensa lusoria, sella, charta versicolor, nobis sufficiunt. Moribus nostris viribusque magis accommodata : chartam! ludum oblectamentumve seriò dixeris ? An potiùs lucri cupidinem, laborem, studium plurium horarum, ex quibus mens defatigata, corpus verò inexercitatum recedit.

Nullibi gentium, somni vigiliarumque tempora ità inordinatê dividuntur quam Parisiis; qui multis sunt distenti occupationibus cum aurorâ surgunt, neque sat longiori indulgent somno; qui verò sunt vacui negotiis, curarumque immunes, in multam diem somnum protrahunt: diei verò noctisque mutare vices, atque functiones à naturâ dicatas invertere, id ad Optimates, peculiari quodam jure, videtur pertinere : id autem habet consuetudo, altera natura, ut ex inverso ordine, hâc in re non naturali, non tam malè afficiantur homines, quàm ab errrore in rebus aliis non naturalibus.

Quantùm animi Pathemata faciant ad sanitatem convenit inter omnes : maximi igitur interest, vel animi pathemata hygieines legibus submittere, illisque regimen præscribere, Lutetiæ præsertim incolis : ibi enim aggregatæ atque veluti concentratæ cupiditates omnes, desæviunt atque dominantur.

Igitur, Optimates, si sanitati suæ consultum velint, id agant, ut ad altiora semper animum non intendant, vehementioribus animi motibus parcant, ambitionem coerceant; cum rebus domesticis rationem ponant, connubio fidem desponsatam servent scrupulosiùs, non ità splendidè, non ità lautè mensas instruant. Plebecula sanitati suæ consulet, si in rebus omnibus modum adhibeant, temperent à vino atque liquoribus, futura cautè provideant. Qui inter magnates & plebeculam medium tenent ordinem, sanitati suæ prospicient si lucro minùs avidè inhient, Divinæ Providentiæ magis confidant, nec tam irrequietè negotiis implicari se atque agitari sinant : cùm omnibus & ubique benè erit, si mœror atque tristitia ab omnibus exulet.

Ea enim est corporis & animi necessitudo arctaque connexio, ut animi motus ad corpus transeant, ut animi perturbationes, œconomiæ animali tumultus inferant, bella discordiasque parent : perturbatis animi motibus, secretiones turbantur, vitiantur coctiones, spiritus animales languent, aut efferuntur : pacatis verò animi motibus, sedatis illius perturbationibus, omnia in statum rerum non naturalium reducuntur, aëre excepto, qui nobis extraneus, nostri non est juris; digestiones fiunt laudabiles, secretiones ritè peraguntur, circuitus spirituum sanguinis & humorum passu incedunt æquabili; corporis nostri fibræ, cùm sint neque nimis rigidæ, neque remissæ nimis, solida & fluida reciprocantur : uno verbo, frænatis vehementioribus animi motibus, domitisque cupiditatibus, corporis & animi fruimur valetudine, quantùm fieri potest, integrâ; jam enim luctandum nobis duntaxat superest cum rebus extraneis, cœli intemperie, aërisve vitiis ; aut cum labentibus annis, nobis invitis, fluxis atque caducis.

Sic hygieine non tantum diætetica sed etiam prophylactica meritò audit.

## V.

SEVERIORIBUS diætæ legibus non Parisinos tantum indigenas, vel à longo tempore incolas, astringere convenit : diæta sic latè sumpta magis necessaria competit Exteris, qui ex omni mundi plagâ hùc confluunt visuri Lutetiam, vel negotiorum necessitate compulsi, vel propter urbis celebritatem curiositate allecti; qui enim cœlo, regioni vivendi normæ, moribusque civium sunt assueti, atque veluti coaluerunt, his omnibus non æquè afficiuntur, ac ii qui primùm hanc in urbem adventant : his igitur summoperè prætium est perpendere, quænam sit cœli regionis & patriæ soli natura ex quibus profecti sunt; illa deindè omnia conferre cum novo cœlo, novâque quam ingrediuntur tellure, ut ex institutâ, ritèque pensitatâ comparatione, accepto consilio, diætam, vivendique modum ac rationem dirigant.

Exteri vix urbis, regni capitis salutarunt limen, stupent perculsi suburbiorum urbisque magnitudine, pulchritudine, domuum excelsitate : mirantur civium multitudinem propè infinitam, motumque continuum hùc & illùc euntium atque redeuntium, quibus viæ videntur quasi jugiter æstuare atque trepidare : ast multò magis hærent attoniti, fremitu strepituque vecturarum omnis speciei, quarum aliæ pedetentim, lento gravique passu

trahuntur & incedunt ; aliæ verò fervidis agitatæ rotis, ceu in circo, rapidiſſimè abripiuntur, tonitruque clangorem æmulantur : quibuſdam viis, nocte, eodem ſtrepitu perſonantibus, conqueruntur, Lutetiæ, ne nocte quidem, licere ſomno indulgere : illorum nares odore quodam ex rivis lutoque exhalantibus feriuntur, quem cives propter conſuetudinem, ne ſuſpicantur quidem : tum ſuam reſpirationem paululum contractam & difficilem ſentiunt : appetitus languet, corpus minùs vegetum ingraveſcit ; uno verbo inſolitum quid experiuntur, quo nec benè valeant, nec malè admodum : felices heu nimiùm ! Primis hiſce mutati cœli temporibus, ſi novis incolis parcat febris inimica, ſuis ſtipata ſymptomatis, membrorum dolore, lumborumve gravitate : accidit autem ſæpè ſæpiùs, ut negotiorum tumultus, ſpectaculorum incantamenta, voluptatum illecebræ quotidiè renaſcentes, motus & exercitatio, itinerum comites neceſſarii & individui, mutati cæli aërisque vitiati incommoda abundè compenſent, Pariſinorumque urbanitate atque comitate deliniti, Pariſios adventaſſe ſibi gratulentur : his præmiſſis, illorum tamen ventriculus debilitatur, alvuſque dejicitur ; Sequanicas illicò incuſant aquas, apud Exteros enim Sequanæ fluvius malè audit ; idque magno damno ſibi verti autumant, ſed perperam ; Extranei Pariſiis ſemper lautè excipiuntur, illorum ventriculus malè concoquit alimenta inſueta majorique copiâ ingeſta : biliosa ſeroſave colluvies congeritur : quid tum ? Si Sequana fluvius amicè catharticas vires non exerat, humoreſve non deturbentur, in morbos incidant graviſſimos neceſſe eſt, idque vectigal apud Pariſios perſolvere nuncupatur.

Alienigenæ omnes, aëre Pariſienſi, æque, nec pari modo tentantur : qui enim è ſeptentrionalibus appellunt oris, minorem percipiunt differentiam ex cælo Pariſienſi, quod eſt ſuo ſeu patrio analogum ; eo duntaxat excepto, quod ſit forſitan minùs ſiccum, minùs elaſticum, ventiſque minùs perflabile : Orientales contra & Auſtrini aërem noſtrum ſuo frigidiorem & humidiorem, & graviorem experiuntur ; hi, præter victum, plethoræ, dimi-nutæque perſpirationi convenientem atque accommodatum, veſtitu uti debent, qui ſit contra aquilones ſæpè inexpectatos muniendo par. Exteri omnes carnibus junioribus præſertimque inter cœnandum abſtinere debent ; vinum anteponere Burgundiæ æduacum ; aquâ temperatum ferro candente extincto medicatâ.

Ubi, de diætâ, quæ à Pariſienſibus tum indigenis, tum alienigenis, teneri obſervarique oporteat, ad differendum me accinxi pro viribus, ea mens fuit, (ambitioſa) ut Hippocratem, medicorum facilè principem, licet non aſſequendo, imitarer ; qui in ſuis diæteticis codicibus, præcipuè verò in libro de aëre, locis & aquis, omnia quæ ad hygieinen pertinent, accuratè deſcribit ; cohortaturque medicos, ut quocumque in loco, quâcumque in regione artem exercere ſint parati, circumſpiciant undique, ſcrupuloſiùſque inveſtigent urbis ſitum atque poſitionem, ſolis aſpectum, aſtrorum curſus, ventorum flamina, tempeſtatum mutationes, aëris vim, aquarum naturam, ſoli qualitates, civium mores ; indè enim ſumit indicationes quibus morbi tum endemici, tum epidemici præſentes curentur, abſentes prævertantur : eòque rem adducit, ut Medicum in rebus Aſtronomicis peritum exoptet. » Quod ſi cui iſta ad rerum ſublimium ſpeculationem pertinere » videantur, is facilè intelliget, ad artem medicam, aſtronomiam ipſam, non minimum » ſed plurimùm potiùs conferre ; quippè cum unà, cum anni temporibus, hominum ven» triculi mutationem accipiant. »

*De aëre, locis & aquis sect. 3. ad initium.*

Tanto edocti oraculo, noſtroque quantulocumque incitati exemplo, idem enitantur Medici omnes qui in quâcumque hujus regni parte medicinam factitant, ut quantùm prodeſſe civibus & exteris habuimus in animo, tantùm & ipſi reipſâ proſint.

*Ergo diæta omnibus neceſſaria, magis verò Lutetiæ Pariſiorum Incolis.*

Proponebat Pariſiis PETRUS-JOSEPHUS MORISOT DES LANDES, Catalaunenſis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, A. R. S. H. 1755,

A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1755.